Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

[Tabulae directionum et profectionum]

Regiomontanus

[S.l.], 1560

Problema III. De progressionibus vniversalibus

urn:nbn:de:bsz:31-132675

Visual Library

Problema II.

Sunt præcise gradus 63. uti constat ex mea Harmonia motuum Cœlestium. Si hisce annis 4320. adduntur Anni diluvium Universale Noachi antecedentes, exurgunt, Anni 5976. quo temporis intervallo stellæ fixæ absolvunt 87. gr. 19. min. 13. sec. Atque hos gradus & hæc minuta observant Sol, & Luna in omnibus suis Revolutionibus. Exempli gratia: Annus Solaris continet supra 365. dies, horas 5. min. 49. secunda 13. Hic excessus dat in Æquatore 87. gr. 19. min. 13. sec. Annus Lunaris continet 354. dies, 8. horas, 48. min. 39. secunda. Motus Solis huic tempori congruens, habet 5. Sexagenas 49. gr. 16. min. 52. sec. quæ dant in Æquatore 87. gr. 19. min. 13. sec. Mensis Lunaris habet dies 29. horas 12. min. 44. sec. 3. qui dant. in motu Solis 29. gr. 6. min. 24. sec. 20. tert. ter sumpti numeri largiuntur 87. gr. 19. min. 13. sec. Excessus Solis in Annis 19. dat 87. min. 19. sec. in Annis 76. 5. hor. 49. min. 13. secunda.

Problema III.

De progressionibus Universalibus.

INsignis ac ferè ineffabilis usus est progressionum, seu profectionum Universalium, tam in macrocosmo, quam in microcosmo; Et quamvis triplex sit, unica tamen tantum est. Nam media procedit à maxima, & est ejusdem Dodecatemorion Annua procedit à meridia, estque ejusdem dodecatemorion. Maxima absolvit signum spatio Annorum 360. & integrum Circulum, intervallo Annorum 4320. periodum Annis 5976. erat tempore creationis, abhinc annis 5445. retro in 15. gr. ♊ tempore diluvii in 3. gr. ♏ tempore passionis Christi in 3. gr. ♉. Tota periodus complectitur 16. Signa 18. gr. quemadmodum Latitudo Zodiaci 16. gr. & 18. min. comprehendit, ultra quos gradus ♂ & ♀ non divagantur, Austrum versus & Aquilonem.

Intrat

Problema III.

Intrat autem Progressio maxima Cœlestia Signa sequenti tempore,

	Anni		Anni	Sign.	Gr.		Anni		Anni	Sign.	Gr.
Anno Mundi conditi.	0.1	ante Christum.	3784	♊	15	Anno Mundi conditi.	3061	ante post Christum.	724	♓	0
	181		3604	♋	0		3421		364	♈	0
	541		3244	♌	0		3781		4. ant.	♉	0
	901		2884	♍	0		4141		357	♊	0
	1261		2524	♎	0		4501		717	♋	0
	1621		2164	♏	0		4861		1077	♌	0
	1981		1804	♐	0		5221		1437	♍	0
	2341		1444	♑	0		5581		1797	♎	0
	2701		1084	♒	0		5941		2157	♏	0

Kankaraf Indus vocat has Progressiones, Anni benedicti Revolutiones. Scripsit de Profectione maxima Johannes Glogoviensis, Petrus de Eliaco Cameracensis Episcopus Leopoldus in tractatu suæ Summæ cap. 5. Aomar, Albumasar in libro de Conjunctionibus, Author summæ Anglicanæ dispositionis, & multi veteres Astronomi, sed obscurè, & signum regnans vocarunt Orbem magnum, hoc Anno videlicet Christi 1661. die 18. (28) Nov. quo hæc scribo, maxima profectio hæret in 18. gr. 42. min. ♍.

Media profectio est dodecatemorion maximæ profectionis & quando maxima annis singulis progreditur min. 5. Media absolvit, 5. duodecies, scilicet 60. min. vel integrum gradum; Intrat ergo media simul cum maxima Cœlestia signa, gradus regnans dicitur dispositor, & divisor, & est hodierno die in 14. gr. 17. min. V. Hæc progressio eadem est cum directionibus in Thematibus Genethliacis. Themata Natalitia Patriarcharum ante diluvium, item Adami & Evæ, examinanda & calculanda sunt, juxta Profectionem maximam & mediam, uti videre est in meo Computo Creationis, item in Paradiso terrestri. Ex profectionibus, judicandum est de mutatione Imperiorum Regnorum, Religionum, &c. Planetæ constituti apud profectiones vires & efficaciam

ficaciam illarum mirum in modum adaugent, & multiplicant, item horum ad profectiones, radiationes, hinc Imperatores, Reges, principes, itemq; Prophetæ, Planetas habuerunt profectionibus, vel corpore vel aspectu conjunctos. Usus etiam maximus est, profectionum in Thematibus Urbium ubi directiones nullæ, sed solummodo progressiones adhiberi debent; Thema Romanæ Urbis habet medium Cœli in 20. gr. ♄ ibidemq; maximam profectionem in 16. gr. 30. min. ♄ & mediam in 17. gr. ♋ ambas in cuspidibus positas, unde Regina Urbium facta; Sed de Urbibus in peculiari libello tractandum erit. In Nativitatum Thematibus, ego profectionem mediam, per gradus æquales non aliter ac alium significatorem ad promissores deduco & dirigo & maximam illarum vim & efficaciam expertus sum. Impossibile etiam fuisset Patriarcharum, & omnium Hebræorum Regum Themata investigare, absq; profectionum beneficio.

Annua profectio in Macrocosmo similis est profectioni Annuæ in microcosmo, nisi quod illa incipiat a. 20. gr. ♌ sub quo Sol die 4. Creationis conditus fuit, hæc vero à die Nativitatis initium sumat. Profectio Macrocosmi hoc modo investigatur, tempore supra dicto, scilicet Anno Christi 1661. die 18. (28.) Nov. ☉ commoratur in 6. gr. ♐. Ab initio ♈ ad 6. gr. ♐ sunt 8. Sign. 6. gr. à quibus subtraho 4. Sign. 20. gr. videlicet 20. gr. ♌ restant 3. Sign. 16. gr. seu 106. quos divido per 12. producuntur 8. gr. manentibus 10. gr. in residuo, qui quinquies ducti, dant min. 50. ita ut profectio Annua Macrocosmi hoc die sit in 8. gr. 50. min. Signi, sed nondum inventi; Quod vero hoc modo inveniendum ab Anno 1661. subtraho 1437. quo Anno profectio maxima in ♍ fuit ingressa, restant 224. anni, quos divido per 12. exurgunt 18. gr. & manent in residuo 8. gr. qui per 5. multiplicati dant minuta 40. hi. 8. gr. dant 8. signa, præterlapsa, à quo die ☉ 20. gr. ♌ intravit, est itaque profectio Annua in signo 9. videlicet ♐ ejusque gr. 8. min. 50. & maxima in 18. gr. ♍ min. 42. gr. 224. divido per 30. exurgunt 7. Signa, 14. gr. quæ numeranda

randa ſunt à ♍ erat itaque profectio media die 2. (12.) Auguſti quo die 20. gr. ♌ ingreſſus erat in 14. gr. ♈ pro minutis duplica profectionem Annuam 8. gr. 50. min. & habebis profectionem mediam in 14. gr. 17. min. 40. ſec. ♈ Conſule de profectionibus Annuis Scaligerum.

Reſtat Dominus Anni hoc modo inveniendus. A Mundo condito ad Nativitatem Chriſti tranſierunt Anni 3784. quibus junge annos 1661. exſurgunt à Creatione anni 5445. qui diviſi per 7. numerum; producunt 777. Revolutiones integras & remanent, 6. anni, qui monſtrant nobis ♄ Anni dominum;

Atque hæc de directionibus Nativitatum earumq; profectionibus dixiſſe ſufficiat.

FINIS.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST